

Alte Drucke

**MARCELLI || PALINGENII STEL-||lari Poëtæ doctißimi ||
Zodiacus vitæ, || hoc est, || De Hominis vita, studio, ac
mo-||ribus optimè instituendis || ...**

Palingènio Stellato, Marcello

Lugduni, 1559

LIBER VII. LIBRA.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-154881

LIBER VII.

LIBRA.



M V S A agedum surge, & melioribus
vtere pennis:

Alta pete, atque humiles iam dudum
despice curas:

Rebus in excelsis decus est & gloria maior.
Contemplare deos, totumq; per aethera curre,
Est ubi ver æternum, ubi pax æterna, ubi semper
Lucidus apparet Titan, nullisq; tenebris
Leditur alma dies. non illic nubifer Auster,
Vesanusue Aquilo: Zephyri sed blandior auras
Spirat, & ambrosie letissima gramina mulcet.
Hac spaciare igitur: tamen inde relapsa vicissim 10
A centro ad centrum vario discurrere volatu.
Ac veluti speculam querit, quicumque videre
Optat multa procul, sic te super astra necesse est
Scandere, ad usq; Iouis solium: hac sublimis ab arce
Subiectum claro spectabis lumine mundum.
Principium primū, immensum, admirabile, summū,
Ex quo cuncta fluunt, tanquam de fonte perenni,
Vnum est duntaxat: nec rectè plura putantur,
Nam si plura forent rerum primordia, vel nil
Inter se prorsus differrent: sic erit vnum. 20
Vel mage differrent, & sic fateamur oportet,
Esse aliquod maius, melius, præstantius, inter
Cetera principia, unde alijs tribuatur origo,

Arbitr

Arbitrio cuius moneantur cætera. nam si
 Plura mouent pariter, si vires omnibus æquæ,
 Si par imperium est, non est tamen æqua voluntas,
 Parq; illis animus, crudelia prælia fient
 Ingiter, atque omnem impedit discordia motum.
 Vt si fortè ratem parili conamine plures
 Impellant venti, nunc huc nunc statibus illuc
 Ambiguus agitata hæret, cui pareat, aut quem
 Audiat, vnde loco semper versatur eodem.

- 19 At si animus cunctis idem est, eademq; voluntas
 Principijs : frustra ponentur plura, sed vnum
 Sufficiet. nam si non sufficit, atque aliorum
 Indiget auxilio, si non nisi iuncta mouere
 Possunt, haud dubiè imperfectum erit vnumquodq;
 Nec poterunt verè primordia prima vocari.
 Nam perfectum imperfecto prius esse necesse est,
 Nec non composito simplex, & pluribus vnum,
 Et misto purum : quod prudens nemo negabit.
 Est operæpretium tamen hoc ratione probare.

- 20 Causa suo effectui prior est, autorq; opere ipso.
 Perfectum verò, quia partes continet omnes,
 Nilq; illi deficit, longè est robustius, atque
 Fortius. ergo facit, mouet, imperat, vnde putatur
 Iure quidem causa atque autor : sed debile contrà
 Est imperfectum, quia partes non habet omnes,
 Huicq; aliquid deficit: proin vincitur, atque mouetur
 Perfecti iussu : paret, non imperat. ergo
 Iure quidem effectus dici, atque opus esse meretur,

Posteriusq; ipso perfecto debet haberi.

Quod si principium primum, quo cuncta creantur,

Imperfectum esset: miserum foret usq; & ab illo

Nil posset fieri perfectum: sicut ab arte

Qua non perfecta est, perfectum non opus exit.

Quare non possunt plura esse exordia rerum,

Ast vnum: quia perfectum non amplius vno est.

A quo sic rerum eternus deducitur ordo,

Ut monade à prima innumeri numeri generantur.

Est etiam purum, ac simplex: nam posteriora 10

His sunt composita & mista. an componere quisquam,

Aut miscere potest, si non prius inueniantur

Ex quibus id fiat? prius hæc extare necesse est,

Singula per se, deinde simul coniuncta manere.

Ergo principium primum (ceu diximus) vnum est,

Ac simplex, nec non purum: quod viuere si non

Credimus, erramus. quoniam nisi viueret, unde

Esset vita alijs cum viuant cuncta per ipsum?

Viuit nimirum, atq; sapit: quia condere nunquam

Tot bona, tam varia et pulchra, et tanto ordine posset, 20

Ni sapiens foret, & cognosceret omnia ad vnguem.

Nec dubitandum etiam, sed corde atq; ore fatendum,

Hoc ipsum esse bonum. nunquid bonitate carebit

Illud, cunctorum quod origo & causa bonorum est?

Num fonte ex dulci, riui effunduntur amari?

Num dulces riui ex fonte effunduntur amaro?

Aut opus est nihil esse bonum: aut bonus ille putandus

Qui rerum fons est, & mundi maximus autor.

Hunc

Hunc homines variè appellant: nos ore Latino
Qui loquimur, plerūq; Deumq; Iouemq; vocamus,
Qui cum sit primum ens, & ab ipso cetera fiant,
Idcirco est per se viuens, sapiensq; bonusq;
A nullo accipiens quod habet, verum omnia ab illo
Accipiunt, igitur quod habent, amittere possunt,
Si modo nil conferre velit dator ille supremus.

Vt riui possunt arefcere, si neget undas

Fons solitas: tamen haud ideo fons deficit ipse.

10 Nam per se producit aquas, neque pendet ab ullo:

Sic Deus est per se, idcirco non deficit vnquam:

Nec si cuncta simul pereant, ideo ipse peribit.

Quicquid enim per se est, semper durare necesse est.

Cum nullo indigeat, cum solo pendeat à se:

Cum vi non possit, cum nolit sponte perire.

Demum ipse est totum: sunt autem cetera partes.

Tale tamen totum non est, quod constituatur

Partibus ex ipsis: cum sit super omnia simplex.

Sed virtute, inquam, totum est, quia condidit orbem

20 Tam vastum, & quicquid tam vastus cōtinet orbis.

Omnia quæ viuunt, & quæ viuentia non sunt:

Omnia quæ apparent, & quæ apparentia non sunt:

Ipse facit solus, solus quoque facta tuetur.

Hac ratione igitur totum est, totumq; vocatur,

Vt semen tota est arbor: quia viribus eius

Quancū sit minimū, tamen ingens nascitur arbor,

Quæ validis ramis spatiosas explicat umbras.

Multi autem dubitant, an corpus corporeū sue

Sit Deus. esse etenim nil præter corpora credunt.
 Atque ea corporeò quæ sensu percipiuntur.
 Quare nos vtrum hoc sit verum, dispiciamus.
 Omne quod est corpus, quântum & quale esse necesse est,
 Atque duo hæc propter, nimirum sensibile corpus
 Redditur : his demptis, quid sensu percipietur?
 Quod verò quantum & quale est, cõponitur : atqui
 Simplex est Deus ipse, velut iam diximus. ergo
 Nentique corpus habet. prædictis adde, quod omne
 Corpus materia saltem formaq; coactum est. 10
 Præterea non finita virtutis oportet
 Esse Deum, æternus cùm sit, ne desinat orbis.
 Nullum infinitam virtutem corpus habebit:
 Quodlibet est etenim finitum, nempe rotundum,
 Corporibus cunctis maius, meliusq; suis est
 Limitibus cinctum: sic quod quater angulus, aut ter
 Format, sic alias quod habet quascunque figuras.
 Ergo infinita non est virtutis. & istud
 Monstro sic : partes hoc diuide corpus in æquas,
 Sitq; A dimidium, sit B pars altera : quero 10
 An possit tantum A, quantum B, & vtriq; potestas
 Infinita sit ? hoc pacto pars altera frustra est,
 Altera sufficiet. quod si pars vtraque vires
 Finitas habet, & totum tale esse necesse est.
 Finitis etenim constare ex partibus ipsum
 Infinitum, audet qui dicere, desipit. ergo
 Corporis est expers, qui corpora cuncta creauit.
 Fortè aliquis respondebit : Deus infinitum

Est

Est corpus, nos verò istud posse esse negamus.
 Omne etenim spatium compleret, nec locus ullus
 Restaret vacuus, qui claudere cetera posset:
 Sic nec mundus erit, nec nos, nec deniq; quicquam.
 Præterea corpus viuens cū nobilius sit,
 Ac melius, quàm quod vita caret: haud dubitādū,
 Nobiliorem esse ac meliorem corpore vitam,
 Propter quam corpus melius sit, nobiliusq;.
 Quæro igitur, nunquid vita est substantia? vel quid
 10 Accidit? hoc si sit, substantia vilior esset,
 Nec non deterior, quàm quod substantia non est:
 Quod certè absurdum, clamabit turba sophorum.
 At si vita ipsa est substantia, corpore nullo
 Indiget, adiuncto sibi: solaq; purius, atque
Commodius per se, quàm corpore iuncta manebit.
 Nam quare adiscat corpus sibi, viuere liber
 Cū valeat mundi sator, & sine corporis usu?
 Nempe superuacua est moles, & carceris instar
 Continet inclusas vires, animamq; coercet,
 20 Impediens, ne quod vult pergere libera possit.
 Ille igitur summus princeps, bonus, omnipotensq;,
 Aeternus, sapiens, prorsus sine corpore viuit.
 Sed quare hoc multi nolunt concedere? dicam.
 Nempe quia in crasso demersi corpore, crasso
 Obducti sensu, nil præter corpora norunt.
 Vt si fortè oculis vitrum quocunque colore
 Infectum obŷcias, quicquid spectabis, eundem
 Qui vitro, credas deceptus habere colorem.

Scire

Scire tamen debemus, & omni errore fugato
Credere, nec dubiè: esse alia, & quamplurima verè
Entia, vel nullo viuentia corpore: vel quæ
Corpus habent tenue in primis, vt cernere nostri
Haud possint oculi, nec nosster tangere sensus,
Atque ideo nobis meliora & nobiliora.

Quod forsàn tali poterit ratione patere:

Omne graue & crassum quanto plus continet in se
Terrenæ fecis, tanto fit vilius illo

Quod tenue atque leue, & subtilis materiali, 10

Massa est compositū, docet hoc quodcunq; metallum:

Nam simul ac validis Vulcani viribus arsit,

Liquitur, & partes illius deteriores,

In quibus est terra plus & grauitatis, habentur

Pro nihilo, in scoriāq; abeunt: leuiora, magisq;

Pura, nitent: meliore sono, meliore figura.

Sic panis melior, qui purior & leuior fit

Ex simila: hunc domini comedunt, sed crassior escā

Dat famulis, rursus grauiori & deteriori

Custodes pecoris pascuntur rure molossi. 20

Sic aqua, sic vinū, atq; oleū, et liquor omnis habetur

Nobilior tanto, quanto est subtilior, atque

Lucidior leuiorq;: cibus quoque crassior, & cui

Plus grauitatis inest, in sordes versus, ab aluo

Pellitur: ast alius terreni ponderis experts,

Fit caro, fit sanguis, fitq; vt le nutrimentum.

Cur lapides viles, crassoq; grauiq; & opaco

Corpore sunt? gemmæ pretiosiq; marmora lucent.

Nempe

Nempe quia his minus est terrena fecis, at illis
 Materies concreta magis densataq; tellus
 Dat pondus, lucemq; adimit, pretiumq; decoris.
 Sunt speciosa igitur minus, & pretiosa, tenent quæ
 Plus terræ: unde etiam possunt minus entia dici:
 Ut minus est aurum scoria, & quod vilius aurum est.
 Namq; elementorum certè est vilissima tellus,
 Et quasi fax quædam: idcirco faber optimus, illam
 Inferiore loco fixit, multumq; remoto:

- 10 Ut quantum posset, distaret ab æthere puro:
 Densavitq; globum, ut minor & contractior esset,
 Cœlicolumq; minus turbaret lumina, quando
 Immensi spectare velint penetralia mundi.
 Ergo ubi ita pulchrum absolvit Deus amphitheatrum,
 Ornauitq; ipsum stellantibus vndiq; gemmis,
 Quicquid ubiq; fuit scobis, immundaq; relictum
 Passim materie, ventos abstergere iussit.
 Illi confestim domini mandata facessunt.
 Hinc aglo, inde Notus, Zephyrusq; Eurysq; patet:
 20 Certatim verrunt campos, glomerantq; redactas
 In medium sordes, varijsq; afflatibus urgent:
 Sic facta est tellus, quæ prorsus ab æthere toto
 Expulsa, ad centrum sese miseranda recepit.
 Non locus aliter erat distantior, inferiorq;
 Ad quem configiens tandem requiescere posset.
 Nomen etiam reliquis infirmior est elementis,
 Debiliorq;: etenim si discindatur ab æsu,
 Aut ferro, aut alia quavis ratione, redire:

In sese nequit, ac diductas iungere partes.
 Ast aqua si fuerit diuisa, recurret in vnum
 Extemplo: & rursus veluti prius integra fiet:
 Sic aër, sic ipse ignis quum dilaniantur,
 Quàm primum coeunt, dissectaq; membra reducunt,
 Et remanet facta de vulnere nulla cicatrix.
 Vnde hoc nimirum quia sunt meliora, magisq;
 Perfecta, & propria possunt virtute moueri:
 Terra autem per se stabili gravitate quiescit,
 Immò alijs causa est vt sint immota, locumq;
 Ne mutare queant. si quidem plus est vbi terræ,
 Plus gravitatis inest, minus illic mobilitatis.
 At quæ sunt leuiores, eadem sunt mobiliora,
 Et vitæ propiora quidem. nam causa mouendi
 Corporibus vita est, patet hinc, quòd mortua motu
 Cuncta carent. sed cum viuientia sint meliora
 (Quandoquidem nihil est vita pretiosius ipsa)
 Haud dubiè, leuius quodcumq; est, mobiliusq;
 Illud idem melius dicendum nobiliusq;.
 Ergo errant prorsus, qui credunt entia tantum,
 Quæ apparent oculis, vel tactu percipiuntur,
 Et quæ crassa magis. quid enim subtilius ipso
 Aëre? quid ue potest tangi minus atq; videri?
 Vnde ipsum multi vacuum, & nihil esse putarunt.
 Apprimè est tenuis: quid ni? veruntamen est ens,
 Et verum corpus, primis de quatuor vnum,
 Nobilius terra, & terram humectantibus vndis.
 Tradita proinde fuit sedes sublimior illi.

10

20

Nata

Nam quæ sunt cælo & stellis propiora beatis,
 Debent nobiliora etiam, & meliora putari.
 Nónne omnes venti tenues, vt lumina fallant?
 Quis tamen esse neget ventos? qui ferrea postquam
 Carceris Eolij fregere repagula, montes
 Ingentes quatunt, validoq; à stirpe reuulsas
 Deiciunt ornos, pontumq; à sedibus imis
 Euertunt, cogunt nubes, solvuntq; coactas,
 Terribilesq; cient tonitrus, & fulmina tridunt:

10 Cùm tantas habeant vires, non entia dices?
 Cernere quòd nequeas, vel prensos stringere palmis?
 Nimirum stultum est committere sensibus omne
 Iudicium, fallunt oculi persæpe videntem,
 Proq; alio monstrant aliud. demergito in undas
 Perspicuas baculum rectum, apparebit in illis
 Incuruus: currat propè littus adacta phaselus,
 Currere tunc littus credas, cessare phaselum.
 Fallaces igitur sensus, etate frequenter
 Aut morbo, aut alijs causis mutantur & errant:

20 Nec sunt cuiq; pares. quod pulchrum iudicat ille,
 Contra hic turpe putat: dulce ille, hic dicit amarum:
 Ille alget, calet hic. variantur corpore sensus,
 Inq; alia sunt carne alijs, partesq; sequuntur
 Interdum, per quas operantur, vt ebrius vnâ
 Esse duas credit flammâs, & fixa moveri:
 Quippè mero turbati oculi, turbant quoq; visum.
 Aër præterea solet ipsos vertere sensus:

Nâq; mō est clarus, mō turbidus, humidus est nunc,

Nunc

Nunc siccus, nunc est densus, nunc rarus: ita ipsos
 Illudit variè sensus: hinc sanguineus sol
 Apparet, minor hinc vel maior luna videtur:
 Hinc clamante aliquo sinuosa resultat imago,
 Decipiens stolidas iteratis vocibus aures.
 His aliisq; modis possunt errare: sed ipsa
 Certior est ratio. duce qua mens inuenit inter
 Mille latens nugas & inania somnia, verum.
 Hanc amat, hanc sequitur, totis huic viribus hæret,
 Qui sinit, ingenioq; valet. cui vinida mens est, 10
 Æthereusq; animus: sed crassa obtusiq; turba
 Non videt hanc lippis oculis hinc plurimus error,
 Vanaq; credulitas, & opinio ceca tenaxq;
 Prudentum rectrix ratio est, at opinio vulgi.
 Nos igitur rationis iter, qua possumus, omni
 Conatu ac studio queramus & ingrediamur.
 Ipsa etenim ratio sol est, qui tramite certo
 It semper, per quam à brutis distare putamur:
 Obscuram, incertamq; imitamur opinio lunam.
 Quid demum ratio dicat? viuientia multa 20
 Esse quidem, nostros fugiant qua tenuia sensus.
 Nam nisi fecisset meliora & nobiliora,
 Quàm mortale genus, fabricator maximus ille,
 Nempe videretur non magno dignus honore,
 Nempe imperfectum imperiū atq; ignobile haberet.
 Insuper etenim naturam hominis, pecudesq; feræq;
 Existunt, viles omnes ac mente carentes,
 Et misere, & ventri tantum somnoq; vacantes:

Quòd

Quod si nullum animal melius natura creasset,
 Quidnā aliud foret hic mūdus, quā turpe ferarū
 Ac pecudum stabulum, spinisq; fimoq; refertum?
 Quidnā aliud foret ipse Deus quā pāstor herusq;
 Multorumq; gregum, multorumq; armentorum?
 Atqui hominem fecit: nimirum maxima laus hęc,
 Nimirum satis hoc: ohe, fieri melius nil
 Debuit, aut potuit? iamiam perfectior orbis
 Esse nequit, fuit hęc Iouis infinita potestas?

- 10 Sed videamus virum sit fas hoc credere. non est,
 Non est hoc inquam fas credere, nec ratio vult.
 Nā quid homo est? animal certē stultū atq; malignū,
 Pręq; alijs miserum, si se cognoscat ad vnguē.
 Quis nō spontē malus? vitiorum lubrica & ampla
 Est via, quā properant omnes, vltroq; feruntur,
 Nec prohibere valent monitor, lex, pæna, metus 've.
 Contrā, virtutis salebrofa, angusta, nimisq;
 Ardua quā pauci tendunt, ydemq; coacti.
 Quis sapit? an mulier? nūquid puer? aut cerdonum
- 20 Tota cohors? eheu stultorum maxima turba est:
Cæcis versamur tenebris, & ducimur omnes
Affectu: aut nulli, aut pauci, quos rector Olympi
Præcipue sibi delegit, ratione reguntur.
 Quis contemplari valet: aut vnde otia nobis
 Sunt, vt possimus latitans inquirere verum?
 Distrahimur varijs curis: pars plurima vite
 Conteritur somno, reliquum morbi atq; labores
 Assidui impediunt, paupertas 've improba turbat,

*Desidia interdum, interdum furiosa voluptas.
Hinc stulti sumus, hinc nobis sapientia desit.
Nanq; ea continuo studio, longoq; paratur,
Pacatumq; animum poscit, mentemq; quietam.
Quam verò genus humanum miserum sit, abundè
(Ni fallor) sexto libro monstrauimus antiè.
Eheu pœnarum scelerumq; & stultitiarum
Hic locus est: hæc est tenebrosi regia Ditis,
In qua nemo quidem nō multa incommoda suffert.
Turba tamen stupida & crassa hoc nō cogitat, imò 16
Inter continuos, detestandosq; labores,
Sæpe canit demens, & ridet, nec miseram se
Agnoscit, patitur pœnas, obiterq; iocatur,
Et subito obliuiscitur omnia: dummodo parua
Dulcedo subeat, lethæ hæc mentibus infert.
Prouida sed tales voluit nos esse, sagaxq;
Natura: vtiliter certè. nam si saperemus,
Quis ferret misere tot tantaq; tædia vitæ?
Tristitiam curasq; graues sapientia gignit.
Ipsa etiam natura hominum spe lactat inani, 19
Qua sine quisq; sibi mortem conscisceret vltro.
Ergo stultitia & spes, sunt duo pharmaca nobis
Tradita, prudentis naturæ consilio, ne
Tot tantisq; malis affecti deficiamus.
Quòd si hodie haud vllū est animal præstātius ipso,
Mundi autor quid erit: stultorumq; & miserorum
Et sceleratorum dominus, princeps, pater, & rex.
O bellū imperium, ô summum ac mirabile regnum,
o bell*

- O bellos comites : quid quæris Iuppiter vltra?
 Iam non es solus : tam pulchrum condere mundum,
 Scilicet hos propter decuit te. seruiat istis
 Cælum, sol, luna, astra, aër, tellus, mare. quid ni?
 Sed mox in nihilum redeant, pereantq̃, velut nix
 Adueniente æstu, aut hyberno tempore frondes.
 Quanti sunt, quæ tam imbecillo corpore constant?
 Quanti sunt, quæ tam imperfecto tempore durant?
 Nunquid credibile est, terram pontumq̃; habitari
 10 Duntaxat : quæ sunt cælo collata ferè nil.
 Quid tellus pontusq̃; simul? punctum propè dicas,
 Si mundi spatium immensum ac mirabile acuto
 Perpendas animo : quin ipsis quodlibet astrum
 Est maius, veluti perhibent qui talia norunt.
 Ergo tam exiguus locus, & tam vilis habebit
 Tot pisces, homines, pecudes, volucresq̃; ferasq̃;
 Cætera erunt vacua, & proprio cultore carebunt?
 Atq; aër desertus erit, desertus olympus?
 Delirat quisquis putat hoc, hebetusq̃; cerebri est:
 20 Immo illic longè plura, & longè meliora
 Viuere credendum est, longeq̃; beatius, atq; hîc.
 Deniq; si verum volumus sine fraude fateri:
 Est hominum sedes, brutorumq̃; infima tellus:
 Ast aër vltra nubes, cælumq̃; beatum,
 Pax vbi perpetua & nitidi lux clara diei
 Assiduè regnant, domus est & regia diuûm.
 Quos licet haud possit mortalis cernere visus
 (Est etenim tenuis nimum natura deorum)

Sunt tamen innumeri, bibulæ quot corpora arenæ
Littoribus cunctis, cunctis quot gramina campis.
Qui credit cælum tam immensum, tamq; decorum,
Desertum omnino, ac solum, vacuumq; colonis,
Cum teneat vilis tam multa animalia tellus:
Delirat, crassa mentis caligine pressus,
Nec minus ac pecudes terrena in fece sepultus.
Nec mirum puto, si fortunate inveniuntur
Insule in Oceano, loca cunctis plena bonis, &
Delicijs: veluti quidam scripsere: ubi vitam 10
Nunquam ullus dolor, aut casus contaminat ullus.
Sed cælum, Oceani nomen, quia concolor illi est,
Et velox apprime, ideo, fortasse, recepit:
Omnis stella autem, censebitur insula. quid ni?
Nonne domos etiam multas ita sepe vocamus,
Quod solæ à reliquis sint omni ex parte remotæ?
At si aliter dicunt quàm nos exponimus, errant:
Non etenim in nostro oceano sunt talia: Reges
Hæc loca non sinerent armis intacta, suoq;
Imperio vellent adiungere, si quis ad illa 20
Accessus foret, & cuperent consistere in illis.
Sed quid non fingit nugarum Græcia mater?
Nempè suos aër cælumq; ac sidera ciues
Indigenasq; tenent: quod qui negat, ille beatis
Invidet, atq; Dei maiestatem insipienter
Blasphemat. nunquid non est blasphemia, cælum
Dicere desertum, & nullis gaudere colonis?
Atq; Deum nobis tantum, brutisq; præesse,

Tam

Tam paucis, & tam miseris animalibus, & tam
 Ridiculis? certe sciuit, potuit, voluitq;
 Omnipotens genitor, nobis meliora creare,
 Qua uiuant meliore loco: vt sua gloria maior,
 Maius & imperium foret, & perfectior orbis.
 Nam quo plura facit, quo nobiliora, relucet
 Hoc magis & mundi decus, & diuina potestas.
 Sed dubium est, an sint pure & sine corpore formæ:
 An varia, vt nos, membrorum compagine consent.
 10 Nimirum dicat ratio, quod in aëre & igni
 Corpus habent quæcunq; manent animalia. nam si
 Non sunt corporea, ergo aër desertus & ignis
 Prorsus erit, vacuusq; locus dicetur vterq;
 Quippe locum præter corpus, nihil occupat: illi
 Cui non est corpus, non est locus, idq; loco nil
 Indiget: vt satis ostendunt præcepta sôphorum.
 Sed nunquid morti debentur? credere par est,
 Vivere longa quidem & fœlicia secula, tandem
 Desinere, atq; mori. nam si corrumpitur aër
 20 Atq; ignis, cur non pereant viuientia in illis?
 Nempe loci naturam haurit, sequiturq; locatum.
 Forte aliquis, quali specie, quali ve figura
 Sint hæc, scire velit: par est quoq; credere talem
 Esse illis faciem, qualem nec terra nec vnda
 Ferre solet, nostra meliorem ac nobiliorem:
 Qualem nec fas est, nec cernere possumus ipsi.
 At quibus in stellis vita est, & in æthere puro,
 Cœlicolæ, nunquam pererunt: quia nulla senectus

*Æstra terit, nulla vnquam ætas labefactat olympū.
 Credendumq; ipsis maiora & lucidiora,
 Et formosa magis, magis & valida & leuia esse
 Corpora, quàm reliquis, quæcunq; sub æthere viuūt,
 Atq; elementa colunt, & tempore mensurantur.
 Sed quid agunt? gaudent sensu ac ratione vicissim,
 Nunc hoc, nunc illa vtentes: mirisq; fruuntur
 Delicijs, quas humanum nec fingere posset
 Ingenium, nec mortalis percurrere lingua.
 Illic est verus mundus, vera entia, vera
 Diuitiæ, veri mores, & gaudia vera:
At hic sunt vmbre tantum, simulachraq; rerum
Friuola, quæ paruo momento vt cera liquecunt.
Illius mundi quædam est hic noster imago:
Quantū pictus ab hoc, tātū hic quoq; distat ab illo.
 Extra ipsum verò cælū & supra omnia corpora,
 Esse alium mundum meliorem incorporeumq;
 Qui non percipitur sensu, sed mente videtur,
 Nonnulli credunt: nec res est dissona vero.
 Nam si nobilior sensu, & præstantior est mens,
 Cur habeat propriū mundum, propria entia sensus,
 Quæ verè existant, quæ percipiantur ab ipso:
 At mens sola manens, proprio non gaudeat orbe?
 Nilq; habeat per se existens? sed somnia tantū
 Apprendat, tenuesq; vmbas, & inania spectra?
 Quæ non existunt per se, vera entia non sunt.
 Aut igitur mens est nihil, aut natura creauit
 Menti consimilem mundum, qui continet in se*

Res veras, stabiles, puras, immateriales,
 Quæ per se existunt melius, quàm sensibiles res.
 Hic ille archetypus mundus, perfectior isto
 Sensibili, quanto sensu perfectior est mens.
 In quo, sol Deus est summus, diq; astra minores.
 Ergo plura etiam cum sit perfectior, in se
 Continet, ac diuersa magis, quàm materialis
 Corporeusq; orbis, sed nil corrumpitur illi,
 Nil motum, nil tempus habet: sunt omnia fixa,
 10 Eterna, absq; loco, & nullis obnoxia damnis.
 Illic sunt causæ, & cunctarum semina rerum.
 Sensibilis mundus, mundo defluxit ab illo
 Mentali archetypo, & quedam est illius imago.
 Omnia sed perfecta illic, atq; vndiq; tota:
 Hic sunt particule rerum, quæ multiplicantur
 Materie vitio. sic plures efficiuntur
 Cerui: nãq; illic virtus est vna creatrix
 Cernuorum vulpes facit hæc, facit illa leones.
 Sic de alijs dico, quæ noster continet orbis:
 20 Quæ numero plura, at specie clauduntur in vna.
 Omnia proueniunt suntq; à virtutibus illis.
 Haud aliter fabri magna exercentur in vrbe,
 Quisq; suo incumbens operi diuersa laborat.
 Quare ex particulis hic mundus constat. at ille
 Ex totis, vnijs per se distantibus à se.
 Singula nonnulli credunt quoq; sydera posse
 Dici orbis, terramq; appellant sydus opacum,
 Cui minimus diuûm præsit: quia nubibus infra

Imperium teneat. producatq; omnia solus
 Corpora quæ equor habet tellusq; atq; infimus ær:
 Vmbrarū Dominus, simulacraq; riuā gubernans,
 Cui data sit rerum cura & moderamen earum,
 Quæ quia non durant, sed tempore corrumpuntur
 Exiguo, propè nil possunt vmbraq; vocari.
 Hic reor est Pluton, à quo tenebrosa teneri
 Regna canunt vates nanq; infrà nubila nox est:
 Suprà autem lux clara nitet, splendorq; perennis:
 Huic igitur, tanquam minimo, Deus ille Deorum 10
 Rex genitorq; dedit vilissima regna, aliosq;
 Vt quisq; est melior, melioribus addidit astris,
 Imperiumq; suum natis diuisit habendum.
 Sed tamen hæc hominum nulli certa esse putamus.
 Nam secreta Dei quis nouit? quis fuit vnquam
 In cælo, redijtq; iterum, potuitq; referre?
 Non tanti est mortale genus, mens nostra labascit
 In rebus summis, nec spectat noctua solem.
 Quisque suo ingenio fretus, noua fingere gaudet:
 Presertim vates, quibus est fiducia maior. 20
 Traditur his, quacumq; velint, impunè vagari:
 Nam furys agitantur Iacchi, & Apollinis æstro.
 Quamquàm nil prohibet furiosos dicere verum,
 Et verum dixit quondam furiosa Sibylla.
 Sit satis (hoc veluti promissimus) ostendisse
 Multa esse & nobis longè meliora, videri
 Quæ nequeunt, viuunt tamen, & ratione fruuntur.
 Imò aliqui in primis docti scripsere sophorum,
 Tales

Tales esse animas quoq; nostras, corporibusq;
Exutas non posse mori, eternasq; fatentur.

Sic Plato, sic Samius voluit, sic sensit & ille
Diuinus verè Plotinus, sicq; poëta

Non pauci cecinere igitur par esse videtur,

Atq; opræpretium (quoniam dignissima scitu
Res est) hanc etiam meditando euoluere partem.

Quid melius, quàm se cognoscere? corpora quid sint,
Norunt vel pueri puluis de puluere: verùm

10 Difficile est, naturam animi cognoscere ad vnguem,

Quare hanc, pierio confusus numine, totis
Viribus ingenij & solerti indagine, posthac

Querere conabor, faciliq; ostendere versu.

Quo factò, libram egressus, tua Scorpio adibo

Signa, vbi fatorum vires ac iura requiram,

Si modò non obstant scribingendi fata poëta.

Sed quia in ambiguis rebus benè percipiendis

Progressus bonus est, ac debitus ordo, vt ab illis

Quæ manifesta magis, magis & certa, incipiamus

20 Hoc nos facturi sumus hac in parte. etenim si

Principia obscuris fuerint abstrusa tenebris,

Quæcunq; ex illis veniunt, incerta sequentur.

Friuola si fuerint fundamina, tempore paruo

Deficiet quicquid super his fabricare volumus.

Effectus verò certi magis ac manifesti

Sunt nobis quàm causæ: igitur sumamus ab illis

Principium, & foribus rem perspiciamus apertis.

Iamq; ideo à motu (quia per se sponte moueri

m s

Possunt

Possunt, quæ vitam retinent: quia deniq; motus
 Precipuum vitæ indicium est) prius incipiemus.
 Nempe ipsum corpus necnon membra ipsa quiescunt
 Per se, & putrescunt: calor est fortasse mouendi
 Causa, aut calfactus sanguis. sed viua frequenter
 Stant immota, insit licet his sanguisq; calorq;
 Quandocunq; volunt requiescere. proinde voluntas
 Ipsius motus fons & causa esse videtur.
 Sæpe volunt tamen, & nequeunt animata moueri:
 Ergo vtrumq; simul motum creat: imperat vnum, 10
 Exequitur reliquum: iubet hoc, iussa efficit illud.
 Velle quidem nihil est, si desit posse. sed vnde
 Vult animal mutare locum? quia nempe voluntas
 Mente bonū monstrante videt, deinde ipsa mouetur
 Virtute obiecti, & trahitur velut ignis ab esca,
 Vt lapide idæo ferrum, paleæq; minutæ
 Heliadum lacrymis. miro sic ordine mundum
 Instituit pater omnipotens, vt plurima nexu
 Iungantur facili, & coëant: sed plurima contra
 Discordent inter sese, pugnentq; vicissim. 20
 Vnde aliqui merito esse aiunt primordia rerum,
 Litem & amicitiam, perq; hæc fieri omnia credunt.
 Ergo bonum mouet, à quo deinceps mota voluntas
 Membra agitat, corpusq; vrgēs huc mittit & illuc.
 Non tamen esse bonum cunctis animantibus vnum
 Credamus: neq; enim cunctis est vna cupido.
 Diuersis diuersa placent, sua gaudia cuiq;
 Distribuit natura: aliud puer optat, amatq;

Quam

Quàm matura ætas, nam qualia corpora, tales
Sunt plerunq; animi, & talis plerunq; voluntas.
Propterea nunc hoc volumus, nunc illud amamus:
Et quæ grata prius fuerant, mox despicuntur:

Nimirum, quoniam corpus mutabile, nunc hos,
Nunc illos habitus diuerso tempore sumit,
Naturamq; animi secum trahit. hinc sitis, hinc &
Macra fames, Venerisq; oritur genitiua cupido,
Atqui ipsum corpus mutant complura, vel ætas,

10 Vel tempus, vel casus, item potus, cibus, aër,
Syderaq; interdum, vt quidam scripsere periti.
Non igitur solum obiectum, sed corporis ipsa
Conditio, nos velle facit diuersa, mouetq;.

Sed ratione aliqui potius ducuntur, & illa
Procedunt monstrante viam, & virtute trahuntur
Qui perquàm rari existunt. nam lumina mentis
Haud secus obducunt affectus corporei, quàm
Phæbeum iubar inspissantes aëra fumi.

His demum causis corpus mortale mouetur.

20 Vis autem motiua animæ, cui mota voluntas
Imperat, imperium exequitur, membrisq; quietis
(Imdupedita modo hæc nõ sint) infunditur, horsum
Illorsum impellens. sed cur lassata labore
Languescunt? sic crura dolent, sic brachia torpent.
Hinc credo, quoniam sanguis feruore solutus,
(Feruēt enim motu nimio) subducitur, atq;
Deficit exhalans paulatim: non aliter quàm
Ægrorum extenuat quum pallida corpora febres.

Sang

Sanguis enim, aut alius vice sanguinis humor, in ipsis
 Diffusus membris, animam vehit, atq; alit ipsum
 Corpus: quo vegetante, mouens vis concitat artus.
 Spiritus est etiam quidam tenuisq;, levisq;.
 Quem generat calor, ac sanguis resolutus ab ipso,
 Ceu solet à radijs solis resoluta creare
 Vnda leues agilesq; auras. hic spiritus intra
 Viscera conclusus passim, fluitansq; cauernis
 Corporis, animæ præsto est, animæq; ministrat,
 Quum vult ipsa aliquid fieri, corpusq; moueri. 19
 Verum hi qui somno oppressi sunt, quomodo motum
 Exercent? nam sæpe aliquis per somnia surgens
 Arma capit, vel sternit equum, vel scribit, vt aiunt:
 Vel citharam digitis pulsât sopitus inertem.
 Scire opus est, rerum in nobis simulachra manere,
 Quas visu aut alio sensu percepimus: hinc est
 Quòd quasi præsentem, absentem spectare videmur,
 Quòd iam præteritas voces audire putamus.
 Has igitur species, cerebri penetralibus altis
 Inclusas, turbat stomacho qui surgit ab imo 20
 Euolitatq; vapor: tunc mens delusa, mouetur
 Atq; mouet corpus, fuerit si fortis imago.
 Sed caudam colubri abscissam, caudamq; lacerta
 Motantem sese, nunquid mouet ipsa voluntas?
 An potius vis illa animæ, quam nomine Gray
 Phantasiam dicunt? ceu quos vel dira phrenetis,
 Vel Bacchi liquor immodicus, vel somnia vexant?
 An ratione alia id contingit? forsitan intra

Nodo

- Nodosas caudæ partes, vegetabilis ille
 Spiritus inclusus, toto conamine querit
 Qua data porta fugâ, et sinuosa volumina torquet,
 Perq; vias tenues sensim eluctatur in auras:
 Vel pars illa animæ, qua corpus sentit in illo
 Stat diuisa loco, & motum ciet. arbitror autem
 Iudicio quæcunq; carent, non posse dolorem,
 Aut aliquid sentire. etenim vis maxima sensus
 Cognitione fluit: qui plus cognoscit, habetq;
 10 Iudicium maius, patitur magis, & magis idem
 Gaudet: sed stupidi atq; hebetes minus omnia curât.
 Ledûtur minus, & metuûnt minus, & minus algê
 Atq; calent, vix dignoscunt aduersa secundis.
 Non igitur quoniam doleat, cauda illa mouetur,
 Nil etenim sentit: quia vis quæ indicat, illic
 Non est, sed capitis parte in meliore remansit
 Vnde prior mihi causa magis vera esse videtur.
 Sic igitur motus fit, quo viuientia sese
 Proripiunt. tamen hoc prædictis addimus vnum:
 20 Quod quandoq; bonum præsens, cûm possit haberi,
 Non mouet aut petitur: quia non cognoscitur. ergo
 Cognition, motus etiam causa esse videtur:
 Imo præcipua est: quis enim cupit illa, petit ve,
 Quæ prorsus nescit? cæca est per se ipsa voluntas,
 Nec quicquam sibi velle potest, sine lumine mentis:
 A quo si fuerit minus illustrata, sinistrum
 Carpit iter, specieq; boni decepta labascit.
 Verûm hæc de motu satis. hinc videamus, ut ipsum
 Viuen

Viuentis corpus grandescat, quomodo fiat
 Crementum, & certo cur tandem limite sistat.
 Æthereus quidam est ignis, qui animantia quæq;
 Viuificat, clausus membris ac pectore tæco:
 Hunc humor genitiuus alit, ceu flamma lucernæ
 Occaso iam sole, leui nutritur oliuo.
 Hic stomacho immixtas epulas coquit, inde per artus
 Sparguntur partes subtile, vnde medulla,
 Ossa, caro, nervi, sanguis gignuntur, & omne
 Paulatim augetur corpus: velut imbribus herbae 10
 Ac plantæ crescunt, solis virtute iuante.
 Si multus fuerit, validusq; hic ignis: & humor
 Conueniens adsit, quantum calor ipse requirit:
 Fit magnum augmentum, tandem finitur, & vltra
 Non tendit, cum sit virtus finita caloris:
 Quo demum languente, solet decrescere corpus.
 Hoc patet in senibus: sunt hi namq; minores,
 Incuruiq; cauo spectantes lumine matrem.
 Deficit ignis enim, & languet calor ille animalis:
 Deficit humor item natiuus, quo sine vita 20
 Stare nequit: veluti non lucet flamma lucernæ,
 Si desint alimenta illi, redeuntq; tenebræ.
 Iam verò motus animi dicamus, & vnde
 Proueniant: res abstrusa est, tamen excutiemus,
 Qua mens nostra tenus poterit pertingere verum:
 Ac de ira primum. audaces facit ira, pericli
 Contemptrix, auget robur, viresq; ministrat:
 Qua suadente, hostem impauidi, Martemq; cruentum
 Aggre

Aggredimur, rapiusq; in praelia currimus armis.

Causa est nimirum sanguis, qui accenditur : & cor

Flammiumum, fellisq; liquor diffusus amari.

Ira etenim sedes fel creditur, ipsaq; bilis

Materiam præbet stimulis : cecoq; furori.

Hinc, quæ felle carent animalia, neutiq; possunt

Irasci, pacemq; colunt, ac bella recusant.

Hinc quibus est sanguis fermentior, atq; caloris

Vis maior, tumidam citius labuntur in iram.

10 Sic iuvenes, sic & quorum mera vina repleverunt

Plus equo fibras, facile excandescere notum est.

Ergo anima indignans, bilem cum sanguine miscet.

Deinde manus ad bella armat, mox vulnera fiunt.

Nam prius ipsam animam lædens iniuria turbat:

Quæ turbata, dehinc corpus mouet: unde videntur

Errare hi, quicunq; animam non posse moueri

Contendunt. nam si nunquam moueatur, oportet

Stare loco, atq; gradu corpus quoq; semper eodem,

Motus enim varius varium simul indicat esse

20 Motorem. sol mutatur, mutantur & umbra.

Cur nunc has reddunt, nunc illas organa voces?

Nempe quia huc illuc volitat manus, & diuersos

Dum tactus agitat, varium dat fistula cantum:

Sic anima affectus prius accipit ipsa lætenter.

Quos ubi vult fieri notos, tunc viitur huius

Aut huius membri officio, imperiitur & illi

Id quod habet latitans in se, ut videatur & extet,

Hand aliter, quam quum fido rex dicit amico:

Atq;

Atq; aperit secreta animi, quæ postmodo cunctis
 Diuulget populis, & diuulgata pateſcant.
 Amor. Sic etiam fit amor: nam quæ mens dulce quid optat,
 Vsa ministerio cordis, tunc pandit amorem.
 Corde amor, ira, timor, votum, spes, cura, voluptas,
 Tãquã arcæ in quadã, cû anima versantur, et inde
 Membrorum officio excurrunt per corporis urbem.
 At de istis aliàs forsan dicemus abunde,
 Si Deus annuerit nobis, facilesq; Camœnæ.
 Sufficiat nunc, affectus fieri prius omnes
 In natura animi, causis venientibus extra:
 Deinde hos, vel membri vel sanguinis aut humoris
 Cuiuscunq; opera effundi, in lucemq; propelli.
 Iuncta etenim cû sint corpusq; animusq;, necesse est
 Communes motus, communia vulnera vtrisque;
 Accidere, inq; vicem sese mutare: quod vni
 Infertur, quamprimum aliud quoq; sentit, habentq;
 Sympathiam. tanto se sœdere complectuntur,
 Post hæc de sensu, quoniam properamus ad ipsum
 Chelarum finem, breuiter mea Musa loquamur. 10
 Quinq; dedit sensus natura animantibus illis,
 Quæ sunt perfecta: ast alijs non tradidit omnes,
 Atq; ideo possunt meritò imperfecta vocari,
 Quales lumbrici, & talpæ, conchæq; marinæ,
 Cochleæq; & spinis circumuallatus echinus.
 Hos inter sensus præstantior esse putatur
 Visus: quandoquidem menti certissimus hic est
 Nuntius, ostendens illi quæ plurima terris

Natu

Naturæ ingenio ac mira virtute creantur,
 Tot flores, herbas, fructus, animalia, plantas,
 Tam multas lapidum species, tam multa metalli:
 Ostendens etiam quos pascit in æquore Proteus
 Squammiferos populos, & monstra natantia ponto.
 Quodq; his est maius, cælestia templa deorum.
 Stellarumq; globos, & sancti lumina Solis:

- Mitto ea quæ faciunt homines, quæ lingua referre
 Nulli potest. ergo hic sensus pulcherrimus atque
 10 Optimus est, in quo sedes benè creditur esse,
 Præcipuumq; animi hospitium: quotiesq; videre,
 Aut affari aliquem volumus, tunc lumina nostra
 Eius in aduersos oculos intendimus, ac si
 Totus homo atque animus totus consisteret illic,
 Nempe oculos, animi speculum quicumque vocarit,
 Verus erit. nam blandus amor lucescit in illis,
 Apparentq; odium, feritas, clementia, mæror,
 Letitia, improbitas, pietas, prudentia, necnon
 Stultitia, ambitio, timor, ira, audacia, culpa.
 20 Sed visus, quo fit pacto? diuersa sophorum
 Iudicia: exquirunt alij, nos prodere paucis
 Conemur, quicquid vero quadrare putamus.
 Scire opus est vnâ esse animâ, minimamq; videri
 Vt nequeat: tamen innumeris prope viribus aptam,
 Quas illi natura dedit, summusq; creator.
 Hæc auget, nutrit, generat, mouet, afficit, audit,
 Gustat, odoratur, tangit, videt, & cognoscit:
 Quæ vis præcipua est & maxima, cælitibusq;

Cognata ac propria, has igitur per corporis artus
 Diffundit vires, quæ certis partibus herent,
 Perq; oculos lucem admittit, variosq; colores
 Percipit, atque omnes dijudicat ipsa figuras,
 Pupille officio, & totum considerat orbem.
 Sic quoque per nares diuersos prendit odores,
 Perq; aures haurit voces, strepitusq; sonusq;
 Per gustum hæc eadem sentit genus omne saporis:
 Per tactum à calidis discernit frigida, duraq;
 A minimè duris, à leuibus aspera, demum
 Sunt quinque ipsius comites, fidiq; ministri,
 Per quos cognoscit res omnes: quis sine prorsus
 Inscia, lethæo torpebit pressa sopore.
 Ergo oculi cùm sint vitrei, densiq; nitore
 Perspicui, apprehendunt rerum simulacra, tenentq;
 Non secus ac speculum soleat, præsentia quando
 Luminis interfit: cuius virtute creantur
 Sensificæ species, fuerit nisi pupula læsa.
 Has species menti (capitis nanque arce suprema
 Mens habitat, folioq; sedet regaliter alto)
 Ostendunt oculi: tunc prudens illa, sagaxq;
 Cognoscit rem, cuius adest formalis imago.
 Hæc eadem, vocum discrimina mille, sonosq;
 Innumeros, mira vi percipit, ingreditur quum
 Incolumes aures aër elisus ab ipsis
 Corporibus. nanque est aër tenuissimus, atque
 Mobilis in primis: qui quum se corpora pulsant,
 Deprensus medio actu, tum dissultat ab ictu,

Irrump

Irrumpitq; cauas penetrans violenter in aures,
 Ianua clausa licet fuerit, clausaq; fenestra:
 Vsq; adeo est tenuis, & penetrabilis aër.
 Quinetiam pisces, piscantum gurgite ab alto
 Horrescunt strepitus, pauidiq; in retia currunt:
 Quippe aër penetrare potest in viscera Nerei,
 Inde tument fluctus, inde importuna minaxq;
 Senuit hyems, qua vrgente vouët pia munera nautæ.
 Dura igitur, quoties collidunt corpora sese,
 10 Aut quoties aër pulsus vehementer, in illa
 Concaua præsertim, per stricta foramina transit.
 Diuerse ac varia fiunt vocesq; soniq;
 Vt varia est rerum natura, & forma locorum,
 In quibus ipse aër gignit vocesq; sonosq;
 Sic tuba longè alium reddit, quàm tibia cantum:
 Sic pelusiæ discordant nablia sistris.
 Ac veluti iactus lapidis perculsa mouetur
 Vnda in multiplices orbes: sic percitus aër
 Diffundit spiras longè lateq; rotantes:
 20 Atq; ideo multis vox insonat auribus vna,
 Vt multis etiam speculis vna hæret imago.
 Ast odor vt nares intret dicamus, ab ipsis
 Rebus pertenuis fumi egrediuntur, & auras
 Inficiunt latè: veluti quum thura videmus
 Panchæa, aut prunis cinyreia dona cremari.
 Fit gustus lingue officio, curuiq; palati:
 Nanq; his percipitur rerum gustabilis humor,
 Qui penetrans tangit sensum, ingeneratq; sapores.

Tactum autem, sanguisq; & spiritus efficiunt, qui
 Passim per corpus fluitant. animantibus iste
 Sensus inest cunctis, cunctis quoq; gustus inesse
 Creditur: ast homini meliorq; & maior uterq; est.
 Hinc etiam est homini quàm alijs prudentia maior.
 Sunt qui aliter credant fieri prædicta, negantq;
 Acceptas oculis species causam esse videndi:
 Aëre nec medio esse opus aiunt, ut videantur
 Res, aut audiri possint. nanq; omnipotens rex
 Tot vires anima concessit, quot genera ipse 10
 Effinxit rerum, ut posset comprehendere cuncta.
 Quæq; suum agnoscit genus aptè, ac percipit ultro.
 At contemplatur mens omnia, & omnia cauto
 Iudicio expendit, quæcumq; à sensibus hausit,
 Et verum atq; bonum diuino examine librat:
 Mens igitur sol est animæ, sunt sydera sensus:
 Sic perhibent quidam. sed nos properamus, & ista
 Linquimus excutienda alijs, finemq; propinquum
 Appetimus: quia iam chelarum extrema tenemus.
 Colligitur tamen ex dictis, ac perspicitur, quod 20
 Est anima æthereum quiddam, sine corpore viuens,
 Omnia viuificans, cognoscens omnia, diuûm
 Quatenus ille hominumq; pater permisit: ab illo
 Tradita cuiq; rei est certa & finita potestas.
 Illi autem soli vis est sine fine, potestq;
 Omnia, quæ fieri possunt, à lege solutus.
 Nam si anima & sentit, & cuncta intelligit: ergo
 Non est corporea, aut corpus. quia corpora nulla

Non terra, vnda, aër, ignis, neque condita ab istis,
 Has per se vires retinent. non est dubitandum
 Esse animam semen quoddam cœleste, Iouisq;
 Progeniem æternam, cui tantum cognitionis
 Cessit, vt immensum valeat comprehendere mundum.
 Quid si atomi, quas nonnulli finxere sophorum,
 Sunt animæ potius quàm corpora? corpora nanq;
 Omnia, sunt quanta, & possunt vtcunque secari:
 Nempe anima est indiuidua, atque immaterialis,
 10 Et veluti centrū quoddam, ad quod plurima tendit
 Linea. per sensus quia cuncta feruntur ad illam
 Vndique, ceu flumī concurrunt vndique in æquor.
 Quare illos miror, qui dicunt tempore eodem
 Ipsam animā extingui & corpus, par terq; perire.
 Nam licet hoc esset, debet tamen vsque taceri:
 Non sunt hæc dicenda palam, prodendiq; vulgo.
 Quippe hominum plerique mali, plerique scelesti:
 Qui si animam credant nihil esse à funere, nilq;
 Posse pati. postquam semel est egressa. nec vllam
 20 Defunctis pœnam infligi: formidine adempta
 In scelus omne ruent, confundent fasq; nefasq;.
 Præterea multi, qui sperant posse beati
 Post mortem fieri, & versari cum Ioue semper,
 Atque ideo sese dedunt virtutibus vltro,
 Ac bene de multis qua possunt parte merentur:
 Si post fata dari sibi præmia nulla putarint,
 Illico torpebunt, & tot benefacta peribunt:
 Tot spatiosa etiam templa & speciosa, tot aræ

Insignes auro & peregrino marmore, demum
Religio & pietas & honor cultusq; deorum
Ad nihilum venient, si homines nil morte relinqui
Crediderint, animasq; in ventos prorsus abire.
Semiferum vulgus frenandum est religione,
Pœnarumq; metu. nam fallax atque malignum
Illius ingenium est semper, nec sponte movetur
Ad rectum: virtus inuisa molestaq; vulgo est.
Religio generis decus est & gloria nostri,
Quæ nos conciliat superis, & iungit olympo. 10
Nemo igitur bonus & prudens audebit aperte
Dicere, mortale esse animâ, & corrumpere vulgus.
Nunc tamen est multa nobis ratione probandum,
Hanc esse immunem lethi, æternamq; manere,
Vt Christi cultor testatur, bruchiphagusq;
Iudæus credit, præputia nostra perosus:
Quæ Deus haud faceret, si non facienda putaret:
Ac gens fermè omnis concordî prædicat ore.
Principio, quicquid simile est magis omnipotenti
Cunctorum domino, diuturnius esse fatendum est, 20
Perfectumq; magis. nam quod durabile non est,
Sed citò dilapsum perit, imperfectius esse
Quis neget? atque ideo durant cœlestia semper,
Quod divina magis sunt & perfecta: sed ista,
Proxima quæ terris, quæ cælo amota videntur,
Cum sint imperfecta, brevi fugiuntq; caduntq;
Ergo animus noster, cum vita & cognitione
Divinæ similis naturæ appareat, intra

Corp

Corporeos fines claudetur? nec magis ipse
Quàm caro durabit? neque viuet longius eum?
Præterea corrumpi animus nequit, hac ratione,
Quòd simplex & materia seclusus ab omni est.

Huc accedit item, quòd corpore debilitato
Vis animi crescit: quare imbecilla senectus
Consilio superat iuuenes, mentisq; vigore.

Ingenio plerunque caret, qui robore præstat.

Rarò vtrunque Deus cuiquam largitur, vt idem

19 Sit sapiens, & sit robusto corpore pollens.

Quare si, longo fractis iam viribus æuo,
Fortior est animus, non ipse à corpore pendet,
Sed per se est aliud quiddam, & post funera viuit.
Nónne etiam quum pes dolet, hūc mens ipsa dolore
Indicat? haud dubiū est. sed quomodo mētis ad arcē
Peruenit iste dolor? num sursum tendit ab imo,
Paulatim ascendens vt fumus? non: quia multæ
Partes, non solūm (si sic) pes ipse doleret,
Nec pedis, at potius partis, quæ proxima menti,

20 Tunc sentiretur dolor. vnde probatur aperte,
Corpoream non esse animam, & sic morte carere,
Cum mediū nullius egens distantia tangat.

Adde his, quòd quoties reminisci aut fingere quicq;
Egregiè volumus, vel quicquam intelligere aptè:
Tunc animum reuocare opus est à sensibus, vnde
Nonnulli vt melius meditentur, lumina claudunt,
Aut sese à turba abducunt, loca sola petentes:
Vel quum nox piceo terras velamine textit,

Et iam lethæo torpent animalia somno,
Peruigilant, tacitq; toro extinctaq; lucerna,
In tenebris acruunt contractam à corpore mentem.
Nempe animum turbant sensus, populâtur eundem
Affectus, redduntq; hebetem, inuoluuntq; tenebris:
Non secus ac nitidum prætexunt nubila solem.
Ergo si proprijs residens penetralibus, intra
Ipse suas latebras, fugiens à sensibus, atque
Corporeis crucibus, melius sapit: esse profectò
Quum poterit liber, moribunda, à carne solutus 10
Cuncta animus meliore modo cognoscet, & ipsi
Hærebit vero magis ac perfectius absque
Corpore, & æternum viuens durabit in æuum.
Denique cum sit homo medius bruta inter & ipsos
Cœlicolas, commune aliquid retinebit vrisque.
Corpus brutorum est, animi natura deorum.
Altera pars moritur, nescit pars altera lethum.
Non igitur prorsus delet mors omnia: nanque
Lethiferis animus lædi nequit ipse sagittis.
Prædictis etiam possum connectere: quòd si 20
Nil superat nostri post fata, videbitur esse
Iniustus Deus, atque malis præbere fauorem.
Quippe hi dum viuunt, lætis plerunque fruuntur,
His neque diuitiæ desunt, neque grata voluptas:
Hos decorat præclarus honos, & gratia vulgi.
Contrà sæpe bonos vexat fortuna, malignis
Casibus inuoluens: nunc paupertate premuntur,
Nunc morbis, aliquo semper tristantur amaro.

Quare

Quare animus busto superest, scelerumq; suorum
 Dat pœnas : vel si bonus est, bona præmia sumit.
 His alijsq; modis multis ostendere possem
 Immortalem animi naturam, incorporeamq;
 Sed satis est: iam me finis vocat. haud equidem sum
 Nescius, harmoniam dici quoque, non tamen aptè,
 Ipsam animam. ac veluti mistis ex vocibus exit
 Harmonia, & varijs fiunt bona pharmaca rebus
 Compositis simul, vnde oritur vis ipsa medendi:

10 Sic elementorum certa ratione modoq;
 Iunctorum, & cœli pariter virtute creari
 Quidam animam rentur: quæ partim corporis intrâ
 Septa manet, partim causas fortitur ab extra.
 Vt visus, virtute oculi, externoq; creatur
 Lumine. nam cœlum causa est, qua hic omnia fiunt:
 Quo sine nec tellus quicquam, nec gigneret æquor.
 Nimirum hæc falsa est, & peccat opinio. nanque
 Si sic, non posset corpus consurgere contra,
 Et carni vnde oritur capitale indicere bellum,

20 Ipsa anima, & vario motu in contraria ferri:
 Sed semper foret vna eademq; , vt quælibet est vis,
 Quæ solet ex mistis diuino numine nasci:
 Vt patet in genere herbarum, gemmisq; beatiss.
 Quidam etiam censent, animam nihil esse soluto
 Corpore, quod somnus, qui mortis fertur imago,
 Et sensum & mentem nobis auferre videtur:
 Vel quia diuersis causis egrescere cernunt,
 Ac multis varijsq; modis, ne munere possit

*Ipsa suo fungi, mentem lediq; premi;
Assiciunt, nec non cum corpore crescere, & vnâ
Deficere: vt patet in pueris, senibusq; virisq;
Ignarus puer est, prudens vir, desipit etas
Vltima, corrumpit corpusq; animumq; senectus.
Quinetiam dicunt: Si anima est diuina, potestq;
Vnere seiuncta à membris mortalibus, vt quid
Se miseræ carni insinuat? cuius vitio tot
Perpetitur mala, & admittit tot flagitia? ergo
Stulta est, si sponte hoc facit: at si inuita nefandas 10
Corporis ingreditur latebras, quis cogit? an ipse
Iuppiter? ergo Deus nequaquam hanc diligit: imò
Carcere quam clausit tam turpi, odisse videtur.
Et cum nec corpus nec quanta existat, ab ipso
Corpore non credunt vlla vi posse teneri.
Præterea, per se (nisi discat sollicitè) cum
Nil sciat, ac subeant percrebra obliuia mentem:
Per se animum nihil esse putant post corporis usum.
Discere tunc etenim poterit nil, sensibus ipsis
Corruptis morte, vnde omnis doctrina paratur. 20
Quidā aiunt, vnâ esse animam duntaxat in orbe,
Quæ vitam tribuat cunctis viuentibus: vt sol
Vnicus, est oculis animantium causa videndi.
Aeternamq; putant illam, licet extinguantur
Corpora: vt extinctis oculis æternus adest sol.
Has non difficile est nugas ratione potenti
Vincere: sed vereor ne sim prolixior æquo.
Non deerit qui rectè istis respondeat olim*

Quæsi

Quæsis, nodosq; omnes dissoluat ad vnguem.
 Vir macule ingenio, viuet tua gloria necum,
 Nostraq; (quid dubitas) laudabunt scripta minores:
 Aude opus egregium, & cælestia differe terris.
 Vnum hoc adijciam, quod quius nosse valebit:
 Aeternam esse animam, & diuino semine natam,
 Si sensus atque affectus compresserit omnes:
 Si spernens prorsus mortalia gaudia, sese
 Abdicet à curis terrenis, assiduoq;

10 Conetur studio ad superos extollere mentem.

Tunc etenim sapiens fiet, poteritq; futura
 Cernere, vel vigilans, vel somno oppressus inerti,
 Hoc pacto cecinere olim ventura propheta.
 Sobrius ergo animus propior fit ad ethera, quanto
 A terris magis, atque à carnis amore recedit.

At pecudum ritu sequitur pars maxima sensum,
 Nec bona cognoscit nisi quæ sunt corporis: hinc est,
 Quòd plerique putant animam succumbere morti.
 Quandoquidem nequeunt infirmo lumine quicquã

20 Diuinum spectare, atra caligine pressi.

Sed de anima sint ista satis: redeamus ad ipsum
 Autorem mundi, quem concludamus ab omni
 Corpore seiunctum: & sine corpore millia multa
 Esse, quot in syluis frondes gignuntur opacis:
 Vel si corpus habent, tenuè est, nec prorsus ab illo
 Percipitur sensu, sed sola mente videtur.
 Atque hæc in primis sunt entia vera, suiq;
 Invis: nulla etenim carnis contage laborant.

Tu

Tu verò hîc iam Musa tace: mox quum volet ille,
 Qui mea labra mouet, mecum scrutabere causas
 Rerum quas fieri sub lunari orbe videmus,
 Contingant fato, an nulla ratione ferantur.
 Interea dum sol Nemeæi terga leonis
 Torret, & insane sub opaca fronde cicade
 Ingeminant raucos strepitus, queramus in vmbra
 Aut lauri aut myrti suauem spirantis odorem,
 Propter aquæ crepitantis iter pimpleæ quietem.
 Ipsa quies animum reficit, reuocatq; vigorem. 10
 Mox vbi regressæ fuerint post otia vires,
 Rursus ad altisonos (adsis modò diua, tuoq;
 Numine me foueas) tentabo accedere cantus.
 Et si fortè mihi vultu fortuna benigno
 Auxilium tulerit, longos miserata labores,
 Pauperiemq; procul, curasq; fugarit amaras:
 Totus ero tecum, tuâq; intra limina semper
 Versabor, sola hæc fuerint solatia nobis:
 Tunc Aganippæis vbertim explebimur vndis,
 Insuetumq; melos Cirphæa in rupe canemus. 20

LIBER VII.

SCORPIVS.



VR tam diuerso mortalia tramite per-
 gant,
 Hæc in honore æuum ducant feliciter,
 illa
 In tenebris iaceant, multo vexata labore:

Pieri